446

G

68

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

KW 446 G 68.
36.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE

Procuratoribus, Defensoribus & Syndicis.

QVAM

FAVENTE DEO OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris

D. CAROLI DRELINCURTII,

Regii olim in Galliis Medici, nunc verò in hac Universitate Professorum Antiquissimi,

NEC NON

Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Almæ Facultatis JURIDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

PETRUS VAN DER MAES, LUGD. BAT.

Ad diem 27. Januarii hora locoque solitis.

Koninklijke Bibliotheek te 's Gravenhage.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. M DC XCV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

Ampliſſimis, Conſultiſſimis Graviſſimiſque
VIRIS.

D. D. JACOBO VAN DER MAES, Inclytæ hujus Reip. Leydenſis ſecundùm prætori, decies quondam Conſuli, & Concilii Delegatorum Præpotent. D. D. Ordinum Hollandiæ ac Weſtfriſiæ Aſſeſſori, atque ad Cameram Rationalem Celſiſſ. Ordinum fœderatarum Provinciarum olim deputato. Ut & in Aggerum Rhenolandiæ Curia Aſſeſſori Graviſſimo, nec non ad Collegium Societatis Indiæ Occidentalis, quod Amſtelodami eſt, delegato: inſuper Inclytæ hujus Academiæ Quæſtori fideliſſimo. Patruo ſuo chariſſimo, ad Rogum uſque omni honorum & obſequii cultu proſequendo.

D. D. NICOLAO POOCK, Viro integerrimo, Avunculo ſuo omni reverentia colendo.

D. D. PETRO VAN DORP, Inclytæ hujus Urbis rei Fabricariæ quondam præfecto vigilantiſſimo, nunc Scabinorum præſidi digniſſimo, Avunculo Amantiſſimo.

D. D. CORNELIO à GROENEVELT, Med. Doct. Civitatis Lugduno Batavæ nuper Conſuli graviſſimo, ut & Quæſtori fideliſſimo, nunc vero Concilii Delegatorum præpotent. D. D. Ordinum Hollandiæ Weſtfriſiæque aſſeſſori Spectatiſſimo, Avunculo quam plurimum honorando.

Hanc Diſputationem Inauguralem
& ſe totum in grati animi ſignum
humillime offert

PETRUS VAN DER MAES,
Auctor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE

Procuratoribus, Defensoribus & Syndicis.

THESIS I.

Advocati non tantum pro aliis judicio interveniunt, sed etiam procuratores; unde recte titulus *in ff. de procuratoribus est positus post titulum de postulando; unico excepto titulo de his qui notant. infam.*; quia nempe infames ad postulandum jure veteri non admittuntur, nec etiam procuratores. §. *fin. J. exceptionib.*

Procuratoris vocabulum varias continet significationes:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

nes: nonnunquam enim significat eum, qui est curator; quia sc. etiam curatores aliorum causas & negotia procurant; unde etiam procuratores sæpe dicuntur: quomodo etiam dicitur procurator reipubl. *l.* 30. *C. de decurionib.* Nonnunquam dicitur procurator qui ex voluntate sua curat aliena negotia; qui proprie dicitur negotiorum gestor. *l.* 58. *ff. solutionib. l.* 24. *ff. negot. gest. l.* 35. *ff. procurat.* Et procurator voluntarius; qui tamen revera procurator non est. *l.* 56. *ff. judic.* hoc tamen loco procurator significat eum, qui pro actore in judicium venit. *l.* 40. §. 1. 2. *l.* 61. *ff. procurat.*

II.

Procurator alius est generalis; alius specialis. Generalis, qui generali mandato ad agendum est instructus, & cui universa negotia gerenda committuntur; qui etiam dicitur procurator omnium bonorum. *l.* 63. *ff. procurat. l.* 7. §. 1. *ff. quib. modis pig. vel hypothec. l.* 58. *ff. de procuratorib.*

Specialis est, cui speciale mandatum est concessum ad hoc vel illud agendum, *l.* 16. *C. eod. l.* 86. *ff. solutionib.*

Hinc itaque patet; alios esse procuratores ad negotia judicialia; alios ad extrajudicialia. *l.* 33. *ff. procuratorib.*

III.

Nonnulli etiam distinguunt procuratorem, cui totorum bonorum administratio est concessa, in procuratorem omnium bonorum cum & sine libera: nominatim sc. hoc addito: & asserunt procuratorem cum libera etiam potestatem alienandi habere, dummodo id non fiat animo & proposito donandi: cum ille, cui in mandato lla clausula non est adjecta, nihil omnino

possit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

possit alienare, exceptis iis tantum rebus, quæ mora essent futuræ deteriores; quales sunt vinum, oleum, frumenta. Hæc tamen distinctio si exacte examinetur, jure civili non est conveniens. Siquidem cum ex ipso mandato concludendum sit, quid alicui concessum sit vel non; nullum discrimen erit inter procuratorem cum & sine libera: adeo, ut quod uni non permissum sit, alteri quoque non concessum videatur. Nam si administratio bonorum sit simpliciter tradita, semper tamen libera tradita censetur, utpote quæ libere exerceri permittitur; nec minus libere, quam si specialiter, quid permissum esset.

Unde etiam est, quod is cui bonorum administrandorum potestas data est, rem domini in judicium deducit; quod talibus duntaxat est concessum, qui pro dominis habentur; adeo ut possint novare. *l.* 20. §. 1. *ff. novation.* solvere. *l.* 87. §. *solutionib.* juramentum deferre, transigere. *l.* 12. *ff. pact.* Etiam potest bona domini pignori dare vel hypothecæ subjicere, modo ab eo id mandatum, qui solebat equidem bona sua obligare aut nexui dare. *l.* 12. *ff. pignoratit. act.* Quidam volunt, procuratorem, cui libera bonorum administratio concessa est, posse permutare, *per l.* 58. *ff. procuratorib.* Ad quod respondemus, idem permissum esse ei, cui sine dicta clausula bonorum administratio est concessa; nam & illi hoc licet, si id necessitas exigat. Præterea objiciunt, filium & servum, quibus libera peculii administrandi potestas est concessa, res ex peculio vendere, permutare, alienare posse, quanquam specialiter hoc à patre non fuerit dictum: unde concludunt, idem obtinere in eo cui bonorum administratio cum libera est concessa. Sed non obstat: quandoquidem dicimus, consequentiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

non procedere, ſed antecedens recte quidem ſe habere: nam nihil intereſt, an ſervo peculii adminiſtratio ſit conceſſa cum clauſula dicta, an vero non: nam quibus libera peculii adminiſtratio permiſſa eſt, & quibus non eſt permiſſa, idem juris eſt. Et etiam reſponderi poſſet, maxime diſſimilia eſſe, quod ſervis & filiis conceſſum ſit peculium diſtrahere ac vendere; quia peculium eſt quaſi proprium patrimonium ipſius filii vel ſervi. *l.* 39. *ff. peculio.* Aliter vero res ſeſe habet in procuratore *Nicola Everhardus in loc. legal. loc. a Separatis.* Non etiam adverſatur noſtræ concluſioni, quod libera adminiſtratio tradatur, *in l.* 58. *ff. procuratorib. §. fin. 2. J. rerum diviſ.* Ad quod dicimus; liberam adminiſtrationem non dici, uſquequaque liberam. *l.* 8. §. 5. *ff. quib. modis pign. vel hypothec. diſſolvit.* Hæc diſtinctio, quæ jam à nobis eſt dicta, juri civili non convenit, quanquam jure Canonico. *in c.* 4. *de procuratorib. in* 6. recepta & approbata ſit.

IV.

Procurator alius eſt in rem & utilitatem domini; alius in rem ſuam *l.* 4. *ff. de re judic.* idque fit cum debitor dat procuratorem ſuum creditorem, ut id quod ab aliis conſequitur, ſibi ipſi ſolvat, & ipſius lucro ſit. *l.* 4. *C. procurat.* Item cum quis eum a quo cauſam habet, & quem ſibi obligatum habet, dat procuratorem in rem ſuam, ut is periculo ſuo agat: ut cum fidejuſſor reum principalem conſtituit procuratorem. *l.* 42. §. 2. *ff. eod.* poterit etiam quis partim ſuo, partim alieno ideſt procuratorio nomine litigare. *l.* 3. *ff. famil. erciſcund.*

V.

Dare procuratores regulariter poſſunt omnes, qui non prohibentur. *l.* 43. §. 1. *ff. procurat.* Prohibentur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

tur autem infantes, pupilli, ſervus, furioſus & mente carens. *l. 5. ff. regul. jur.* Tutor, curator & procurator ante litem conteſtam. *l. 8. §. 3. ff. mandat.* Actor civitatis in publico civitatis negotio. *l. 74. ff. de procuratorib.*

Dare poſſunt indiſtincte tam actor quam reus *l. 2. C. eod.* Pupillus qui fari poteſt, adhibito tamen tutoris conſenſu. *l. 11. C. eod. l. 4. C. ſi adverſ. rem judicat.* puberes; quanquam ſi ſint minores 25. annis, adhiberi debeat curatoris conſenſus. *l. 11. C. procurat.* Etiam ſine eo. *l. 14. C. d. t.* Filiusfamilias & filiafamilias tam ad lites quam ad negotia. *l. 1. C. furt.* Fidejuſſores. *l. 42. §. f. ff. procuratorib.* Infamis. *§. f. I. exceptionib.* Tutor & curator, procurator poſt litis conteſtationem; quia domini litis ſunt facti. *l. 8. 11. 23. c. eod.*

V I.

Dari quoque regulariter procuratores poſſunt omnes exceptis iis, qui non prohibentur. 1°. Inter prohibitos refertur mulier. *§. f. I. de exceptionib.* Ratio eſt; quia virile officium eſt, alium in judicio defendere. 2°. Minor 17. annis. *l. 13. C. manumiſſ. vindict.* 3°. Qui perpetuo morbo laborant; quia ſuis nequidem negotiis ſupereſſe poſſunt. *l. 54. ff. de procuratorib.* 4°. Furioſus. *l. 2. §. 1. ff. eod.* 5°. Reus criminis. *l. 6. C. d. t.* 6°. Miles *§. fin. I. exceptionib.* 7°. Potentiores. *l. 1. 2. C. ne liceat potentiores. patroc. litigantib. præſt.* Quo in numero ſunt fiſcus, vel reſpubl. *l. fin. C. ne fiſcus vel reſp.* Procuratores eſſe poſſunt 1°. Mulier pro patre vel matre. *l. 41. ff. procurat.* 2°. Qui major eſt 17 annis. *l. 51. ff. eod.* 3°. Filiusfamilias. *l. 8. ff. d. t.* 4°. Reus criminis, ſi innocens repertus fuerit. *l. 9. c. eod.* 5°. Maritus in cauſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

ſa ſuæ uxoris *l.* 2. 14. 21. *C. eod* 6°. Heres pro fideicommiſſario *l.* 42. §. 3. *ff. h. t.*

VII.

Pro his rebus datur procurator, de quibus ne detur prohibitum non eſt. De omnibus enim cauſis & negotiis civilibus agendis & defendendis quibus ipſi nos intereſſe non poſſumus vel nolumus, id licet. *pr. I. de procuratorib.* Inter has cauſas referuntur pecuniariæ, in quibus de aliqua ſumma agitur. *l.* 8. 39. *ff. eod. l.* 26. *C. d. t.* In reſtitutione in integrum *l.* 25. §. 1. *ff. minorib.* In actione reali. §. 2. 3. *de ſatiſdat.* In compenſatione *l.* 12. §. *fin. ff. rem ratam hab.* In appellationibus. *l.* 12. *ff. an peralium cauſ. appellat.* In interrogationibus in jure faciendis *l.* 9. §. 4. *ff. interrogat. in jure faciend.* Procurator nemo poteſt eſſe in re propria non etiam in ſuſpecti tutoris accuſatione regulariter procurator intervenit. *l.* 39. §. *fin. ff. de procuratorib.* Deinde non in cauſis criminalibus; in quibus neque ad agendum, neque ad defendendum procurator intervenire poteſt; quia ipſe præſens eſſe debet. *Cujacius. lib.* 20. *obſervat. cap.* 20. *JC. in l. pen.* §. *ff. de publ. judic.* Ad crimen judicii publici perſequendum fruſtra procurator intervenit, multoqne magis ab defendendum, ſed excuſationes abſentium ex Senatus-Conſulto judicibus allegantnr: & ſi juſtam rationem habeant, ſententia differtur. Idem dicitur *ab Ulpiano in l.* 1. *ff. an per alium cauſ. appellation. redd. poſſ.* Prædictis adverſatur. *l.* 33. *ff. procuratorib.* Ubi dicitur: publice utile eſt, abſentes a quibuſcunque defendi: nam & in capitalibus judiciis defenſio datur. Ad quod reſponderi hoc modo poſſe confidimus; nempe abſentem per procuratorem poſſe defendi; non vero præſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

sentem. Vel sic potius: admitti quidem procuratorem tam in capitalibus, quam non capitalibus non quidem ad innocentiam rei purgandam vel defendendam, sed ad absentiam excusandam: quomodo etiam est respondendum *ad l. 3. C. de accusationib.* Insuper non movet, *quod Ulpianus in dicta l. 33. ff.* defensionis verbo utatur, & ille, qui aliquem defendit, non absentiam ejus excusat. Quandoquidem respondendum est, plures esse gradus defensionis; inter quos merito numerari potest absentiæ excusatio.

Ratio vero, cur in causis criminalibus per procuratorem agere non licuerit, est, quia qui alium accusabat, inscribere tenebatur, ut si calumniaretur, se idem supplicium velle subire. *Gellius. lib. 20. cap. 1. Hugo Grotius de jure belli ac pacis. lib. 1. cap. 2. §. 8. num. 7. Levitic. cap. 24. vers. 18.* Facili siquidem ratione posset se a pœna talionis liberare, si per procuratorem accusatio permissa foret. Id quod diximus, non solum obtinet in actore, sed etiam in reo: quia si reus condemnaretur, contra procuratorem ut innocentem executio dirigi non posset; & sic crimina manerent impunita, quæ tamen puniri Reipublicæ maxime interest. *l. 14. C. de pœn.*

Cæterum, si causa criminalis quidem fuerit, sed ex qua reus duntaxat notatur infamia & pœna pecuniaria; eo casu procurator admittitur. *l. 1. ff. an per alium caus. appellat.* Fundamentum est; quia ubi pœna duntaxat pecuniaria est, nullum periculum subest, ne judicium reddatur retro nullum: nam etiam absens illam pœnam subire poterit. *Gail. l. 1. de pace pub. cap. 10. num. 1.*

VIII.

Constituitur procurator nonnisi a volente; quanquam interdum dominus teneatur in rem suam procuratorem constituere, cedendo ei actiones *l. 105.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

ff. de legat. 1. *l.* 34. *ff. de legat.* 3. Quemadmodum, uti diximus, procurator non niſi a volente conſtituitur; ita quoque non niſi volens conſtituitur *l.* 17. *C. de procurat.* Et ad procuratorem conſtituendum certa & ſolemnia verba non ſunt neceſſaria; non etiam præſentia neceſſaria eſt; imo & poteſt tam inter abſentes, quam præſentes conſtitui. §. 1. *J. de iis per quos agere poſſ.* Præterea poteſt procurator conſtitui ex die, ſub vel ſine conditione; ad tempus, vel in perpetuum. *l.* 3. 4. *ff. de procurat.* IX.

Procurator antequam admittatur mandatum procuratorium tenetur oſtendere, & antequam pro litigante audiatur, fidem de eo mandato facere debet.

Mandatum enim baſis eſt, & fundamentum totius judicii. *Bartolus. ad l.* 64. §. *etiam ff. ad SC. Trebellian.* Atque ſi quis agat ſine mandato procuratorio, a limine judicii repellitur; niſi forte cautionem præſtet de rato. *pr. J. de ſatiſdation. l.* 27. 40. §. 1. *l.* 46. §. 2. *ff. de procuratorib. c.* 1. x. *de Accuſation.* Vel etiam, ſi conjunctæ ſint perſonæ, pro quibus etiam ſine mandato judicio intervenire permittitur; quales ſunt liberi parentes, affines, fratres.

Etiam Maritus pro rebus uxoris in judicio perſequendis omnibus cenſetur jure procurator: niſi mandatum ab uxore in una tantum acceperit lite vel re, per cujus expreſſionem in aliis adempta procuratio videtur. *l. Maritus C. de procurator.* Ergo procurator non eſt, qui non docet de mandato, aut qui rem ratam Dominum habiturum non cavet. Quod locum habet; ſi de mandato dubitetur; quo caſu de rato cautionem etiam præſtare tenetur. *l.* 1. *C. de procuratorib.* Nam ſi nullum habeat mandatum, etiam cum cautione non admittitur. *l. ſi pupilli. §. fin. ff. de negot. geſt.* Niſi ut dictum ex numero perſonarum ſint, quæ etiam ſine ullo mandato in judicio admittuntur. Quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

Quandoque etiam licet mandatum offeratur, contra id excipi ſolet, quod id non ſufficiens aut generale. *C. 4. de procuratorib. in 6. Quintilianus lib. 7. cap.* 1. Multæ ſiquidem cauſæ ſunt, in quibus generale mandatum non ſufficit, ſed ſpeciale requiritur: cujus omiſſio facit, quod procurator ſuſceptum officium implere non poteſt. *Bodinus de Republ. lib. 3. cap. 2.* Ejuſmodi cauſa eſt reſtitutio in integrum. *Myſingerus lib. 2. obſerv.* idem obtinet in juramento: *Cl. 2. de procurat.* Præterea ad tranſigendum vel pactum ineundum. *Hugo Grotius de jur. belli ac pacis. lib. 2. cap. 1. §. 12.* Item ut quid vendat vel diſtrahat; ut ſocietati renuntiet. *l. 65. §. fin. ff. de pignoratit. actione.* Ut ſtipuletur. *l. 68. ff. de procurat.* Ut novum opus nuntiet *l. 1. §. 3. fin. l. 5. §. 18. fin. l. 17. ff. operis novi nuntiat.* Ut ei quid exſolvatur. *l. 86. de procurator.* Ut juramentum præſtet vel deferat *l. 17. §. fin. l. 19. ff. de jurejur.* Quoties tamen mandato clauſula ejuſmodi generalis eſt adjecta, & talia ſunt, quæ omnino ex mandato generali pendent; eo caſu procurator poteſt novare, tranſigere, paciſci: modo hæc non fiant animo diminuendi, vel nocendi, ſed ex utilitate ejus, cujus cauſam defendendam procurator ſuſcepit. *Cujacius in tractat. ad Africanum 8. l. cum. mancipium.*

X.

Officium procuratorum ab inſinuatione mandatorum actis facta incipere videtur, & mandatum ſimul procurator acceptare videtur, dum fidem facit de poteſtate data.

X I.

Finis procuratorum eſt, & ratio præcipua, ut abſentes in litibus defendi poſſunt: vel quod ipſi litigantes non poſſunt judicio intereſſe: vel quidem interſunt, ſed movendis & excipiendis non ſunt idonei.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

XII.

Postquam jam egimus de procuratore; restat ut etiam pauca de defensoribus proferamus.

Defensor varie accipitur: nam non tantum de reo, sed etiam de ipso actore dicitur *l.* 45. §. 1. *ff. de procuratorib. l.* 1. *C. quib. res judic. non nocet.*

In genere defensor dicitur, qui rem in judicio defendit; vel qui alienam litem susscipit. *l.* 33. §. 2. 3. 4. *l.* 34. 35. *l.* 46. §. 1. 3. *ff. de procuratorib.* Hoc tamen loco defensor proprie dicitur, qui aliquem sine mandato in judicio defendit. *l.* 10. *ff. judicat. solv. l.* 13. §. 1. *de public. judic.* Nam defensor qui mandatum habet, proprie dicitur procurator. *l.* 2. 12. *C. de procuratorib.*

Defensor etiam est, qui cogitur defendere; qualis est, qui sibi alterius nomine actionem dari postulat. *l.* 33. §. 34. *ff. eod.* Alius, qui non cogitur defendere; qualem voluntarium defensorem recte vocamus; alterum necessarium. Alius est defensor præsentis; alius absentis. *l. fin.* §. 2. *ff. de jurejurand.*

XIII.

In quæstione quis & a quo defensor dari possit, fere idem obtinet, quod supra de procuratore diximus, cum sit defensor species procuratoris. Defensorem sine mandato dat lex sola: lex enim permittit alienæ causæ defensionem susscipere; non tamen omnibus promiscue.

XIV.

Officium defensoris est defendere. Defendere enim est facere & pati id, quod ipse Dominus in litem aut faceret aut pateretur. *l.* 36. 37. 38. 39. *ff. de procurator.* Formam defensionis quod attinet, debet, qui defendit, boni viri arbitratu defendere, *l.* 33. §. 3. *l.* 77. *fin. ff. eod.* Et hinc frustrando non debet facere, ut lis ad finem non perducatur. *l. fin pr. ff. dict.*

tit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

tit. Sed facere id debet, quod Dominus feciſſet; quia defenſor loco Domini habetur. *l.* 51. §. 1. *ff. eod.*

XV.

Si reus non defendatur, actor in bonorum poſſeſſionem mittitur. *l.* 2. *ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eat.* Quod ſi cautio ſit præſtita de judicato ſolvendo, & eo non obſtante, reus non defendatur, tum committitur judicatum ſolvi clauſula. *l.* 15. *ff. judicat. ſolv.* Quod ſi defenſor, jam judicium accepit, tenetur ob rem non defenſam. *l.* 45. 76. *ff. de procurat.*

XVI.

Procuratoribus & defenſoribus ſimiles ſunt tutores & curatores: Similis etiam iis eſt actor, quem tutor, ſi pupillus infans ſit vel ipſe abſens periculo ſuo conſtituit §. *fin. J. de curatorib.* Procuratoris etiam partibus fungitur ille, qui pro univerſitate intervenit. *l.* 6. §. 3. *ff. quod cujuſque univerſitat. nomin.*

Quales dicuntur Syndici græce. *l. fin.* §. *defenſores. ff. de munerib. & honorib.* Qui laborem perſonalis muneris aggrediuntur, & qui ad agendum & defendendum eliguntur: vel qui lites alicujus univerſitatis vel collegii procurant, *l.* 1. §. *quib. permiſſum eſt. ff. quod. cujuſq. univerſitat. nom.*

De officio Syndici agit Demoſthenes; *qui refert pro Cteſiphonte, Aripidem fuiſſe creatum Syndicum ab Athenienſibus, ut communem cauſam Græciæ defenderet pro Athenienſibus.* In jure etiam Syndicus dicitur apocriſarius: quod vocabulum forte deſcendit ab ἀποκρίνομαι, quod ſignificat reſpondeo. Hinc ἀπόκρισις reſponſio, & apocriſarius interpres, qui pro alio reſpondet.

XVII.

Syndicus ergo eſt procurator alicujus univerſitatis. *l.* 6. §. 3. *ff. quod cujuſq. univerſitat. nom.* Univerſitas eſt corpus ex variis perſonis conſtans. *l.* 30. *ff. de*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

usurpat. & usucapion. Sequitur in uno non constitui universitatem posse, licet si universitas ad unum recidat, placuit jus omnium ab eo retineri, & stare nomen universitatis; quanquam ab initio tribus constare debeat. *l.* 85. *ff. de verbor. significat.* Corpus tamen ejusmodi ab omnibus habere non est permissum ac licitum: siquidem legibus, Senatusconsultis ac principum constitutionibus id prohibitum ac coërcitum est. Multis siquidem suspicionibus & odiis obnoxium est ejusmodi habere corpus, idque propter frequentes commessationes, quæ ibi fiunt. Dantur tamen quidam casus, quibus concessa sunt hujusmodi corpora: vectigalium publicorum sociis permissum est habere corpus aurifodinarium vel argentifodinarium.

XVIII.

Est etiam procurator universitatis vel rerum Ecclesiasticarum, qui œconomus dicitur. *l.* 14. *C. de S. S. Eccles.* Vel dispensator pauperum. *l.* 23. §. 4. *C. Episcop. & Cleric.* Vel cansarum civilium, earumque tum extra judicium, & magister universitatis vocatur. *l.* 9. *ff. rem. rat. hab.* Tum in judicio; & vel omnium rerum, qui Syndicus appellatur. *l.* 1. §. 1. *ff. quod cujusq. universitat.* Vel certarum tantum cansarum, qui actor dicitur si agat. *l.* 6. §. 3. *ff. eod.* Defenfor civitatis si defendat. nuncupatur. *l. fin.* §. 13. *ff. de munerib. & honorib.* Hæc tamen nomina sæpissime confunduntur. *l.* 74. *ff. de procurator.*

XIX.

Constituitur hic procurator aut a lege, aut ea cessante ab ordine, cum duæ partes adessent aut amplius quam duæ. *l.* 46. *C. de decurion.* Et ex his major pars dat actorem sive Syndicum. *l.* 60. *ff. de regul. jur.* Quamquam omnes citandi sunt. *l.* 2. *C. de decurionib.* Fundamentum est, quia quod omnes tangit, ab omni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

omnibus approbari debet. *l. fin. de autorit. præſt.* Et quoties ii, qui citati ſunt, emaneant, illi qui præſentes ſunt, nihilominus poſſunt actum perficere. *l. 2. C. de decurionib.* Conſtituere etiam Syndicum poſſunt ii, quibus ordo id decrevit, ut aliquem eligant. *l. 6. §. 1. ff. quod cujuſq. univerſitat. nom.* Parvi ſiquidem refert, ipſe ordo elegerit, an vero is cui ordo id negotium dedit: quia quod quis per alium facit, hoc ipſe facere videtur. *l. fin. C. ubi & apud quem cognit.*

XX.

Syndicus eligi debet ex corpore & ordine decurionum, *l. 11. C. de Epiſcop. & Cleric.* Excipe niſi idoneus non ſit. *l. 11. §. 1. ff. de munerib. & honorib.* Poteſt etiam quis ſumi ex eorum numero, qui eligunt. *l. 4. ff. quod cujuſq. univerſit. nom.* In ſumma, qui procurator dari poteſt, Syndicus fieri non prohibetur. Et contra, qui procuratores eſſe non poſſunt, non poſſunt quoque eſſe Syndici: quia inconveniens eſſet; iis negotia committi publica, qui in cauſis privatis pro aliis intervenire non poſſunt; cum publica privatis potiora habentur. *Authores quæ C. communia de legat. & fideicommiſſ.* Deinde, quemadmodum procurator privatæ perſonæ, agat, cogitur cavere de defendendo eum, cujus nomine agere vult. *l. unic. C. de ſatiſdando.* Ita etiam actor univerſitatis nomine agere volens, eam defendere compellitur. *l. item eorum. §. 6. ff. quod cujuſq. univerſitat. nom.* Cautionem tamen rem ratam Dominum habiturum præſtare non cogendus, niſi de mandato dubitetur. *dict. l. item eorum.*

XXI.

Syndicus dari poteſt ad omnia negotia & ad omnes cauſas reipubl. etiam futuras, *l. 3. §. 1. ff. eod.* Licet actor non niſi ad præſentes cauſas poſſit conſtitui, quia ad certas proprie cauſas datur: futura autem exe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

ex eventu pendent, & incerta sunt. *l.* 6. §. 1. *ff. dict. tit.* Sequitur, eum dari posse ad operis novi nuntiationem; ad stipulationes interponendas; veluti legatorum, damni infecti, judicatum solvi.

XXII.

Officium & partes Syndici sunt eædem, quæ sunt procuratoris in privato negotio. *l.* 6. §. 3. *l.* 1. §. *fin. ff. eod.* Quare quoque circa Syndici potestatem distinguendum venit, an habeat mandatum generale, an speciale. *Gail. lib.* 2. *observ.* 72. *num.* 11. Priori casu non licet ea agere, quæ speciale mandatum desiderant. *l.* 34. §. 1. *ff. de jurejur. l.* 60. 63. *ff. de procurator.* Secundo casu, ejusmodi actus potest expedire, qui speciale mandatum desiderant. *l.* 12. *C. de transaction. l.* 17. §. 3. *ff. de jurejurando.* Cæterum juramentum, quod universitati defertur haud præstatur per Syndicum, sed tres vel quatuor è senioribus, quibus res melius comperta, id præstare debent: quod idem in juramento calumniæ præstando locum habere, tradit Carpzovius.

Ex iisdem causis mutandi actoris potestas erit, ex quibus etiam procuratoris. *l.* 6. §. 3. *ff. eod.* Hinc si Syndicus quidem datus, postea decreto Decurionum prohibitus sit, exceptio ei nocebit; quia ei permissa videtur actio, cui & permissa durat. *l.* 10. §. 6. *ff. de in rem verso.*

Cum civitates privatorum loco habeantur. *l.* 16. *ff. de verbor. significat.* Inde ea, quæ specialiter de universitatis actore sive Syndico hoc titulo dicta non sunt, eo magis ex privatorum jure suppleri debent; quia multa hic commemorata ad exemplum privatorum sunt introducta.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 G 68